



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno Christi 1276 Usque Ad Annum 1312

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1766

VD18 90118251

§. 44. Benedictus XI obit.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67012](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67012)

isti nulla omnino bona vel singulatim, **Sæcul. XIV.**
 vel communiter possident, ac mendicant, ut victum vestitumque habeant. **A.C. 1304.**
 Hæc est summa sanctionis Benedicti XI, in qua sicut in decreto Bonifacii notari potest, Fratrum Prædicatorum Minorumque tantummodo mentionem fieri: quod argumento est, reliquos Ordines Mendicantium tum quidem non fuisse celebres.

§. XLIV.

Benedictus XI obit.

Summus Benedicti pontificatus fuit brevis: & manavit rumor eum veneno necatum esse ex invidia quorundam Cardinalium: quod ita narrabatur. **Cum J. Vill. l. 8. c. 80.**
 Perusiæ, ubi hærebat, assideret ad mensam, venit juvenis quidam puellari sub amictu, se dicens Religiosarum S. Petronillæ Virginum ancillam in rebus extraneis, & argenteam lancem bellis refertam ficis tenens, quas Papæ obtulit nomine Antistitæ ipsi addictæ. Lætissimus hic accepit fructuum genus suo palato suave: & ficus a persona clausa profectas ratus, nullis prægustari jussis, comedit multas. Mox æger decubuit, **Papebr. conat.**
 obiitque post paucos dies, nimirum 6 Junii an. 1304, cum sedisset mensibus octo, diebus quindecim. Intra ipsam Perusiam

N n 4 siam

Sæcul. XIV
A.C. 1304.

Rayn. n. 32.

fiam in templo Prædicatorum sepultus est sine ceremonia, & sub tumulo primum rudi, cui posthæc addita sunt ornamenta architecturæ Gothicæ pro more temporis. Miracula ibi multa dicuntur facta. Summa Sedes vacavit undecim prope menses.

§. XLV.

Res Universitatis Parisina.

Nang. to. 11.
Spicil. p. 614

Dubois
p. 531. 538.

Cum Papæ Benedicti diplomata de absolute Regis Philippi Pulchri, ac de reddita Doctoribus potestate conferendi laureas Theologiæ ac Juris Canonici Parisios pervenissent, Regis litterarum horum diplomatum summam continentium in templo Dominae Nostræ coram Præsulibus & Clero data opera accersitis publice legebantur 28 Junii pridie festum S. Petri. Decefferat die lunæ 22 ejusdem mensis Simon Matifas Bucinus Episcopus Parisiensis: cui die Veneris ante festum S. Matthæi decimo octavo Septembris per suffragia successus est Guilielmus Bosetus natus Auriliaci in Arvernica, Canonicus Parisinus, & Physicus, nempe Regis Medicus, quem doctrina & mores commendabant sui. Senones erant, ubi eum Archiepiscopus Stephanus Bequartus consecravit anno sequente die S. Sulpitii 17 Januarii.

Interim